

S. PAPIAS

HIERAPOLITANUS EPISCOPUS

NOTITIA

(GALLAND, *Veterum Patrum Biblioth.*, I, Prolog., p. LXVI.)

- I. *S. Papias, Hierapoleos in Phrygia episcopus, Joannis apostoli auditor: ex Irenæo, Hieronymo aliisque vetustis scriptoribus. Aliter censuit unus Eusebius, cujus sententia plerisque recentioribus minus probatur. Chronici Eusebiani locus expensus.*
- II. *Papias, vir in primis disertus et scripturarum peritus, juxta Eusebium et Hieronymum. Episcopus Cæsariensis parum sibi constat, dum eundem Hierapolitanum antistitem velut exsili admodum ingenio præditum traducit, quod Chiliastarum auctor extiterit.*
- III. *Libros quinque scripsit De expositione oraculorum Domnicorum, a Doctore maximo magni habitos. Horum pauca tantum fragmenta supersunt: ex quibus nonnulla sequioris ævi Græcis scriptoribus tribuenda videntur.*

I. Sanctis Ignatio et Polycarpo, Joannis Evangelistæ discipulis, tertius addendus S. Papias, Hierapoleos Phrygiæ postmodum episcopus: ab Eusebio (1) inter eos recessit post Clementem et Ignatium, qui κατὰ τὴν πρώτην τῶν ἀποστόλων διαδοχὴν ἐν ταῖς κατὰ τὴν οἰκουμένην Ἐκκλησίαις γενόμενοι ποιμένες ἢ καὶ εὐαγγελισταί, « primis apostolicæ successionis temporibus per omnes orbis terrarum Ecclesias, pastores aut evangelistæ fuerunt. » Et ipsum quidem Joannis apostoli auditorem fuisse, luculenter satis testatur Irenæus his verbis (2) - Πάπιας Ἰωάννου μὲν ἀκουστής, Πολυκάρπου δὲ ἐταῖρος γεγονώς, ἀρχαῖος ἀνὴρ. « Papias Joannis auditor, Polycarpi autem contubernalis, vetus homo. » Ita quoque post sanctum episcopum Lugdunensem, longo agmine scriptores veteres. Hieronymus (3): *Refert Irenæus, inquit, vir apostolicorum temporum, et Papiæ, auditoris Evangelistæ Joannis, discipulus.* Sic item ab Anastasio Sinaita (4), *inter veteres ecclesiarum interpretes qui spiritualiter sunt contemplati de Christi ecclesia, ea quæ scripta sunt de paradiso, a numeratur et celebris Papias Hierapolitanus, Joannis Evangelistæ discipulus.* Neque aliter sensisse videtur S. Maximus, dum ait (5), ipsum *D. Joannis Evangelistæ temporibus floruisse: συνακμάσαντα τῷ θεῷ εὐαγγελιστῇ Ἰωάννῃ.* In eandem sententiam Andreas Cæsariensis (6), et OEcumenius (7): ut antiquos Martyrologos, Bedam, Usuardum, Adonem, Notkerum, cæt. omittamus.

Unus Eusebius inter antiquiores, non Joannis quidem apostoli, sed Joannis presbyteri aut senioris, discipulum fuisse Papiam aperte profitetur his verbis (8): *Αὐτός γε μὲν ὁ Πάπιας κατὰ τὸ προσήμιον τῶν αὐτοῦ λόγων, ἀκροατὴν μὲν καὶ αὐτόπτην οὐδαιμῶς ἐαυτὸν γενέσθαι: τῶν ἱερῶν ἀποστόλων ἐμφανῶς παρεληφέναι δὲ τὰ τῆς πίστεως παρὰ τῶν ἐκείνοις γνωρίμων διδάσκει.* « At vero Papias ipse in proœmio librorum suorum, se quidem sanctorum apostolorum auditorem atque spectactorem fuisse non prodit: sed ab eorum familiaribus ea

quæ ad fidem pertinent se accepisse docet. » Et nonnullis interjectis: « Papias, inquit, apostolorum quidem dicta, ab iis qui cum illis versati fuerant, se accepisse profiteatur: Aristionis autem et Joannis presbyteri auditorem se fuisse dicit. » Πάπιας τοὺς μὲν τῶν ἀποστόλων λόγους παρὰ τῶν αὐτοῖς παρακολουθησάντων ὁμολογεῖ παρεληφέναι: Ἀριστιῶνος δὲ καὶ τοῦ πρεσβυτέρου Ἰωάννου αὐτίκῃσιν ἐαυτὸν φησι γενέσθαι. « Itaque quidem Eusebius de Papiæ, Grabii verbis utitur (9): sed non Papias de semetipso: qui se nec Joannem apostolum audivisse negat, nec Presbyteri auditorem fuisse plane affirmat. Negasse male concludit Eusebius ex istis Papiæ verbis ubi ait, *se sollicite ex apostolorum familiaribus sciscitatum esse quid Andreas, quid Petrus... quid Joannes, dixerint.* Nam eadem ratione negandum quoque fuisset, quod Joannem presbyterum audiverit Papias, quoniam et in hujus dicta se inquisivisse, ibidem testatur, addens: *quæ item Aristion et Joannes presbyter effati sint.* Hoc tamen omnino voluit Eusebius, licet non clare affirmaverit Papias. Quippe is unum quidem et alterum Joannis senioris dictum refert apud Eusebium l. c. non tamen seipsum hæc ex illo audivisse ait. Verum non repugno: quin potius ab utroque Joanne, et apostolo et seniore, Papiam traditiones accepisse credo. Neque enim ex eo quod alios eorum auditores de pluribus se percontatum profiteatur Papias, colligi potest, eum ipsum haud ex illorum numero fuisse: seduli quippe discipuli solent omnino, ubi eos quid fugerit, ex condiscipulis dicta sensusque magistrorum exquirere, præsertim si alios diutius et familiarius cum eis conversatos noverint, sit igitur ratum, Papiam Joannis apostoli, et forte etiam presbyteri, auditorem fuisse. » Hactenus vir eruditus. Ita quoque Tillemontius (10), Orsius (11), alii.

His autem unum adhuc addendum existimamus, In Chronico scilicet Eusebiano hæc leguntur (12): *Joannem apostolum usque ad Trajani tempora Ire-*

(1) *Euseb.*, Hist. eccles. lib. III, cap. 37 sub fin., cap. 39.

(2) *Iren.*, Adv. hæres. lib. V, cap. 33, n. 4, apud *Euseb.*, H. E., V, cap. 39.

(3) *Hieron.*, Epist. LXXVI, n. 3, opp. t. I, edit. Veron., col. 450.

(4) *Anast. Sin.*, lib. VII, Anagog. Contempl. in Hexæm., tom. I, bibl. PP. Paris., 1609, col. 223.

(5) *Max. Schol.* ad cap. 7, § 2. Dionys. Areop.

de Eccl. Hier.

(6) *Andr. Cæsar.*, in Apoc., cap. 34, tom. I Bibl. PP. Paris. 1644, col. 1572.

(7) *OEcum.*, in Act. apost., cap. 2, pag. 11.

(8) *Euseb.*, Hist. eccles., lib. III, cap. 39.

(9) *Grab. Spiel.*, tom. II, pag. 27.

(10) *Tillem.* Mem. eccl., tom. II, pag. 620, not. 1.

(11) *Orsi* Istor eccl., lib. III, n. 18, tom. II, pag. 74.

næus episcopus permansisse scribit : post quem au- A ditores ejus insignes fuerunt Papias Hierapolitanus episcopus et Polycarpus Smyrnæus, et Ignatius Antiochenus. Quæ quidem posteriora verba par est credere fuisse ab Hieronymo adjecta, ut alia passim. Ea namque in Græcis Scaligerianis desiderantur, ubi sic tantum (13) : Ἰωάννην τὸν ἀπόστολον εὐαγγελιστὴν μέχρι τῶν τοῦ Τραϊανῶς χρόνων παραμέναι τῷ βίῳ Ἐιρηναῖος ιστορεῖ. Et quanquam cl. Vallarsius illa ex Syncello suppleverit (14); ab eo tamen Chronographo aliunde petita videntur. Ita enim ille (15) : Ἰωάννην τὸν θεολόγον καὶ ἀπόστολον, Ἐιρηναῖος καὶ ἄλλοι ιστοροῦσι παραμέναι τῷ βίῳ ἕως τῶν χρόνων Τραϊανῶς, μετ' ὃν Πάπιας Ἱεραπολίτης, καὶ Πολύκαρπος Σμύρνης ἐπίσκοπος, ἀκουσταὶ αὐτοῦ ἐγνωρίζοντο. Verum hæc demum ista scripserit Eusebius : num ideo parum sibi constans Historicus iste dicendus ? Haud equidem putaverim : quin potius ipsam exinde animum deposuisse crediderim, utpote qui post Chronicon historiam ediderit, Utcumque vero se res habeat, illud saltem commodi tum ex hoc Eusebiani Chronici loco, tum ex alio Syncellianæ Chronographiæ accedit, quod magis magisque confirmatur sententia de Joannis apostoli auditore Papiæ.

II. Ex hac igitur Joannis Evangelistæ disciplina et familiari virorum apostolicorum consuetudine, haud mediocrem rerum divinarum scientiam Papias fuisse adeptus perhibetur. Fuit enim *vir in primis disertus et eruditus, atque Scripturarum peritia imbutus*, ut scribit Eusebius (16) : ἀνὴρ τὰ πάντα ὅτι μάλιστα λογιώτατος, καὶ τῆς Γραφῆς εἰδήμων. Cujus item rei locuples testis accedit doctor maximus, ad Lucianum Boeticum sic scribens (17) : *Sanctorum Papiæ et Polycarpi volumina, falsus ad te rumor pertulit a me esse translata : quia nec otii mei, nec virium est, tantis res eadem in alteram linguam exprimere venustate*. Quæ quidem Hieronymi verba si Valesio viro doctissimo succurrissent, sibi forlasse temperasset ab ea ferenda sententia, qua statuit modo allatum Papiæ elogium Eusebianum ab imperito quodam scholiaste præter illius historici mentem fuisse illic adjectum ; eo nimirum nomine, quod ipsemet Papias velut *exili admodum ingenio præditus, σφόδρα μικρὸς ὢν τὸν νοῦν*, ab eodem Eusebio paulo post describatur (18). Verum, ut opinor, inde potius concludendum erat parum sibi constitisse Cæsariensem episcopum, dum virum apostolicum propterea notandum censuit, quod non satis pervidens quæ arcane quodam sensu in sacris oraculis, vicesimo nempe Apocalypsoos capite, dicebantur, chiliasmum in Ecclesiam intulerit : perinde ac si opinionem illam, antequam in apertam proruperit hæresim, amplexi haud fuerint Justinus M. Irenæus, Tertullianus alique Patrum vetustissimi ; quos tamen doctrina et eruditione præstantes viros fuisse, nemo sane inficias iverit. Qua de re præ cæteris Nourrium adire D

juverit, qui tum Papiæ, tum reliquorum catholicorum Chiliastarum opiniones excutere et solerter explicare aggressus est (19).

Cæterum hinc forte acciderit quod monet laudatus Valesius, in nonnullis codicibus Eusebians, ad sententiam ejusdem historici, præcise fuisse abrasum, deinde omissum penitus illud Papiæ encomium ; ut qui mille annorum regni Christi fabulam, seu Judaicam δευτέρωσαν, primus ediderit. Quod quidem nollem factum, si tamen factum admittere oporteat. Hoc enim erratum, Papiæ commune cum plerisque primorum sæculorum doctissimis Patribus, nullo pacto nos cogere videtur cur existimemus, hunc sanctum Hierapolitanum episcopum ab Eusebio haud fuisse habitum *cecu viram ætate sua celebrem, disertum in primis et eruditum, ac Scripturarum scientia excultum*. Quod si vero de loci hujus interpolatione Valesii conjecturam quis velit admittere, illud optimo sane jure nos pronuntiare posse putamus, ab eodem historico immerito prorsus fuisse ob eam causam notatum apostolicum virum ; ejus nempe *volumina tantas res complexa esse noscantur, ut virium suarum non esse profiteretur Hieronymus, eadem in alteram linguam exprimere venustate*.

III. Utinam vero ad nos usque pervenissent illa ! Et supererant quidem sæculo xiii ineunte, ut e codicum mes. catalogo circa annum Christi 1218 confecto erudimur quem ex ecclesiæ Nemausensis tabulario erutum, cl. Menardus haud ita pridem evulgavit (20) : ut proinde viri eruditissimi recte conjecisse existimantur (21), quod Trithemii quoque ætate, ut ipsemet innuere videtur (22), sæculo nimirum xv exeunte, eadem existisse potuerint : licet Caveus (23) et Fabricius (24) neutiquam id sibi persuadeant. Utcumque sit, testatur Eusebius (25) post Irenæum, quinque tantum libros scripsisse Papiam, quos prænotavit τίτλη Λογιῶν Κυριακῶν ἐξηγήσεως, *De expositione oraculorum Dominicorum*, sive, ut interpretatur Hieronymus (26), *Explanatio sermonum Domini* : ex quibus fragmenta nonnulla de Millennio recitat Irenæus, et alia quædam Eusebins, ut reliqua paucula omittamus. Quæ vero apud Oecumenium cæterosque sequioris ævi scriptores Græcos de morte Judæ proditoris tantquam ex Papiæ libris desumpta occurrunt, adeo levia sunt et inania, ut jure cum Tillmontio (27) quis dubitet, an ea unquam idem Hierapolitanus episcopus litteris consignarit.

Ejusmodi autem fragmenta omnia quæ supersunt, qualiacunque demum sint, post Halleixium et Grabiura protulimus : quibus unum addidimus n. vii et codice xxiii bibliothecæ Coislinianæ a cl. Montfauconio adornatæ descriptum ; eo in primis consilio, quo salva consisteret atque integra, lectio Actuum apostolorum 1, 18 a Grabio frustra sollicitata, ut ad eum locum in notis monimus.

(12) Euseb. Chron. ad ann. 2116.

(13) Græc. Scalig., pag. 268.

(14) Vallars. opp. Hieron., tom. VIII, pag. 691.

(15) Georg. Sync., Chronogr., pag. 347, edit. Paris.

(16) Euseb., Hist. eccl., lib. iii, cap. 36.

(17) Hieron., Epist. LXXI, n. 5, edit. Veron.

(18) Euseb., Hist. eccl., lib. iii, cap. 39.

(19) Nourr., Appar. ad bibl. PP., tom. I, pag. 268.

(20) Menard., Hist. civ. eccl. et litter. de Nîmes.

Paris, 1750, in-4.

(21) Mém. de Trévoux, Decembr. 1750, art. 152.

(22) Trithem., De script. eccl., cap. 9.

(23) Cav., Hist. litter., tom. I, pag. 48.

(24) Fabric., Bibl. eccl. ad Trithem., l. c.

(25) Euseb., Hist. eccl. lib. iii, cap. 39.

(26) Hieron., De vir. illustr., cap. 18.

(27) Tillem., Mém. eccles., tom. II, pag. 620, not. 2.